

1538

Franciscum Regem, & Cæsarem pugna instet, atque hoc quidquid est temporis, quo arma conquiescere deberent, ad illa vehementiori cum impetu movenda vim attulisse videatur. Quæ igitur hætenus ad ingens bellum suscipiendum jacta initia sunt? Disjunctæ sociorum vires; in novas cædes, & cruorem propensa intestina dissidia; argenti summa inopia; ad ducenta aureorum millia in singulos menses insumenda non suffectura; publicæ opes superioribus bellis attritæ; ex sacerdotiorum decumis vix triginta aureorum millia annua colliguntur. Hostis contra aliorum bellorum curis solutus, in hoc unum adnixus; classis jam in Hellesponti faucibus parata, atque instructa, quamprimum, ut fertur, Cretæ insulam petitura. Hæccine fœderis auspicia? hæccine egregia, & certa subsidia, quibus incolumitas, ac libertas Reipublicæ nitatur? Haud ambiguis periculis objicimur; hostis arma in nos tantum intenduntur: patent universæ Venetæ ditiones Turcarum incurfibus, quæ reliquis Principibus pro tutissimo propugnaculo sunt: neque iisdem periculis; neque pari fortuna socii in fœdus coeunt. Cæsar tot curis distentus, Gallico bello laceffit, regnandi inexplibili cupidine ardens, ac tantum de re vestra, quantum sua intersit, sollicitus, vestri imperii accessiones, atque incrementa parum lato animo excepturus. De Andrea vero Auria eloquarne, an fileam? cui uti summo fœderis præfæcto rerum omnium pondus incumbit? qui insito in nomen Venetum odio, arrogantia, ac fastu ad res vestras potius labefactandas, quam augendas natus, factusque videtur? Ut enim reliqua præteream, ab hoc uno alia discite. Superiore anno, cum omnis retinendæ Corcyræ spes in consociandis classibus sita videretur, vestris literis, Pontificis adbortationibus, legati Hispani precibus retineri non potuit, quin, abjectis de conjunctione consiliis, Genuam contenderet. Verum, ut iis, quæ Cornelius objecit, paucis occurram; ea mihi duobus in primis contineri videntur, metu ne fidem deseruisse videamur, ne Principum in nos animos concitemus, cunctorumque Christianorum invidia laboremus; spe, qua tantum sibi nonnulli de fœdere pollicentur, ut victoriam de hoste prope se habere in manibus jactent. Sed acrior metus nos sollicitare debet, dum ingenti potentia subnixum hostem; dum res nostras, ac sociorum dispicimus, atque

il-